

se pauperum amator eis ibidem sepius com-
 paciens, eorum miseras elemosinis redimendo)
 hic ingrediente eo cum predicto suo fratre
 reperit quendam claudum ad portam seden-
 tem baculum tenentem in manu, quem baculum
 arripens sanctus presul Petrus pertransiit,
 at pauper et claudus videns se frustrari suo
 fulcimento clamavit dicens: Sanctissime pa-
 ter Petre, da michi baculum quo sustentor,
 ad quem sanctus cardinalis ait: Surge et
 veni post nos, qui statim surgens erectus lau-
 davit Deum et sanctum Petrum, quem baculum
 statim accipiens, scilicet Petrus, finit in ter-
 ram et statim virebat et floruit velud virga
 Aaron. Quod videns cardinalis cum aliis plu-
 rimis obstupuit, sed confortatus a sancto
 Petro cum ipso Deum laudavit dicente cum
 Petro hec requies mea, hic habitabo, quoniam
 elegi eam, quod postmodum probavit rei even-
 tus, quia ibi habitat sepultus corpore vivens
 et spontanea sua electione.
 Sancto igitur Petro iterum in curia residente
 et miraculis tot coruscante dyabolus pacis
 perturbator non sinens Pharaonem dormire
 qui filios Israel insequitur, excitavit in suo
 episcopatu Metensi corda istorum virorum
 domini Symonis Walkaire et Hermanni eius fra-
 tris qui manu armata et valida sancti Petri
 terras invadunt, predam capiunt, loca di-
 rumpunt, bona tollunt et manu sacrilega
 ardentur ^{ville} quod videntes filii Israel id
 est Symon et Ruben non valentes sustinere
 deflorationem sororis sue, insurrexerunt
 contra eos Burgenses de Vico, de Medio-vico
 et de Marsello. Sed non valentes tante
 potencie resistere inter Marsallum
 et Albam ^{ciuitatem} ~~ciuitatem~~ devicti sunt. Vox quantus clamor
 orphanorum, o quantus ploratus viduarum,
 quanta lamentatio sacerdotum, dum tot
 boni viri fide devoti credulitate perspicui
 caritate fervidi, spe non deficientes manu
 excommunicata interempti sunt. Sed nimirum

1/1. pe. =

1/qm =

x/ Gmēs =

1/loc. vac. quinque litterarum =

1/ma

1/ardet

1/loc. vac. sex fere lit.

1/alba etiam